Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 831
Quelle:
Copyright:

notitia Tractatus oeconomici istius, quo *Petrum de Crescentiis* non parum tempore antecessisset. *Codicem ms.* unicum memorant post *Jamesium Caveus*, *Seldenus* et *Tannerus* extantem in *Coll. Caji Cantabrig.* culpatque *Tannerus Seldenum* immerito, quasi eum cum *Galfredi Nova Poetria* confudisset, ut verba Cl. ICti in Praef. ad *X. Scriptores Hist. Anglic.* p. 39. expendenti liquet. Ipse interim *Tannerus* versionem *Anglicam* absque loci mentione adfert, inscriptam *Godefridus super Palladium*, quae incipit: *The manner of settyngs of treis is manyfold and so commune, that we* &c. et certe Opusculum nostrum exprimit, cujus initium: *Modus insercionis arborum multiplex est, sed magis vsitatus et magis communis est, ut euellas* &c. Jam vero doctos Anglos hactenus notatos solo *Godefridi* nomine, quem sibi *Galfridum* suum interpretabantur, contentos Opusculum ipsum nunquam inspexisse, certum est; deprehendissent enim evidenter, Hominis *Alemanni* foetum esse, Medicique, qui tamen diversas regiones, puta *Graeciam*, *Brabantiam*, *Italiam* vidisset, ut ipse sparsim memorat. Namque, ut rem exemplis declarem, dum fol. 186. de triplici Ceraforum specie agit, de prima ait: *ista vocantur in vulgari nostro amerellen*; de altera: *vocantur in lingua nostra kyrsen*; de tertia: *vocantur vulgariter weyſſelen.* Fol. 193. de Musto: *quod wirtz dicimus.* Fol. 205. de Mucore: *quod nos vulgariter schymmel.* Multus praeterea Nostro sermo de *Franconia*, *Thuringia*, *Bauaria.* Ita fol. 190. *Rapam sic fecit quidam in babmbergh maximam. infixit foramen ipsi rape stanti in terra et imposuit foramini aliqua grana seminis rape et creuit maxima.* Simile quid de Raphanis circa *Erfordiam* mihi relatum memini. Fol. 198. *Propter quod ego godfridus multum abhominor vinum herbipolense. — Ego eciam cum indigena terre illius coactus sum uidelicet invitus tale vinum frequenter bibere quia timeo multum perdere racionem et visum. Nix enim est precipua causa cecitatis hominum in franconia. Humulus in thuringia et teda et resina in montanis bauarie propter fumum oculos eorum ledentem.* Hominem certe nostratem, Sec. XIV. aut XV. et latino eloquio longe infra *Galfridum* Poetam audimus, qui qua fortuna anglice loqui doctus fuerit, dicere non habeo. Ut vero Methodum ejus Lectori pandam, VII. ille Tractatibus rem conficit, quorum I. *de plantacionibus arborum.* II. *de vitibus.* III. *de conseruacione fructuum.* IV. *de vindemijs.* V. *de aceto.* VI. *de clareto.* VII. *de vino medicinali* agit. Quivis Tractatus in suos abit Articulos. Ita e I. disces: *De plantacionibus pomorum et pirorum secundum diuersos. Ut poma crescant sine nucleis. Quomodo colorentur poma in ipsa arbore crescentia. Quomodo fiant fructus in ipsa crescentes solutiui. Quomodo arbor*

vetus